

OBS. 10. *Iustitia ante eum incedet.*] 1. Notandum est hoc loco primū, quod regno Christi aduentus Dei in terras promissus est. Polliciti sunt hunc & reliqui Propheta: vt Esa. 35 Deus, inquit, ipse veniet, & saluabit nos. Ergo innuit Spiritus S. hoc vaticinio Christum, qui in hunc Mundum per incarnationem venit, verum esse Deum, verum *πρωτον*, qui abundantiam hanc iustitiæ à Prophetis prædictam in Mundum aduentu suo inuexit. 2. Deinde, quod aduentus huius signum & indicium fuerit, abundantia iustitiæ. Ergo e contrario vbertas iniustitiæ, signum est præsentis satanæ.

PSALMVS LXXXVI.

ORATIO DAVIDIS.

ARGUMENTVM PSALMI.

Psalium hunc orationem esse Davidis, ipsa docet *ἱκετικὸν*. Orat autem Deū, vt se exaudiat, animā suam custodiat, se seruet, sui misereatur, animā suā latificet, viam suam se doceat, cordis suo det, vt nomen ipsius timeat, fortitudinē largiatur seruo suo, & signum aliquod bonitatis suæ sibi exhibeat. Quod autem ista oret in tribulationibus constitutus, & ab inimicis infestatus, satis declarat, cum dicit: Quoniam afflictus & pauper sum ego & : In die tribulationis meæ clamo ad te. & : Superbi insurrexerunt aduersum me, & cætus robustorum quærun animam meam, &c.

Prædicat simul de Deo, quod bonus sit & propitius, & multa bonitatis, cum erga se, tum erga omnes qui ipsum inuocant. Ad hæc extollit etiā eum super omnes deos: ac futurū vaticinatur, vt ab omnibus gentibus adoretur: polliceturq; se illum toto corde, & perpetuò glorificaturū. Sunt ergo quatuor huius Psalmi partes, quibus primū opem Dei implorat; deinde de inimicorum improbitate queritur; tertio bonitatem Dei prædicat; quarto illū super omnes deos extollit, deq; futura omnium gentium adoratione vaticinatur, ac deo pollicetur. Nequeunt aut hæ partes ordine tractari, propterea quod in ipso Psalmo & *ἱκετικὸν* sūt posita.

VERS. I.



Inclina Domine aurem tuam, responde mihi, quoniam afflictus & pauper sum ego.

2. *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: serua tu Deus meus seruum tuum sperantem in te.*

3. *Miserere mei Domine, quoniam ad te clamo tota die.*

4. *Latifica animam serui tui, quoniam ad te Domine animam meam attollo.*

5. *Quoniam tu Domine bonus es & propitius, & multa beneficentia, omnibus inuocantibus te.*

6. *Auribus percipe Domine orationem meam, & attende ad vocem deprecationum mearum.*

7. *In die tribulationis meæ clamo ad te, quia respondes mihi.*

Lectio satis conuenit.

EXPLANATIO.

Habent hi septem versus animi ardentem ad Deum ingemiscens & clamantis precationem: in qua nihil est obscuri, nisi quod, vt & reliqua Psalmi, non oscitanter, sed pia est diligentia obseruanda. Primū autem quædam his versibus petit Vates, deinde causas illorum assignat. Quæ petit, sunt ista. Principiò Deum orat, vt aurem suam inclinet, videlicet ad orationem suam exaudiendū, sibiq; respondeat. Hoc facit versu primo, dicens: *Inclina Domine aurem tuam, responde mihi.* Quibus verbis pro beneuolentia Domini orat, qua preces ad se clamantium benignus exaudire, & ad ipsorum petita respondere solet. Deinde vers. 2. custodiam & conseruationem animæ suæ à Deo petit, dicens: *Custodi animam meam.* Item: *Serua tu Deus meus seruum tuū sperantem in te.* Quibus verbis satis indicat de vita se periclitari, nisi diuinitus seruetur. Tertio, quoniam omnino miserabile est, virum innocentem, ac seruum Dei, impiorū malitiæ expositum de vita periclitari: versu tertio misericordiam Dei inuocat, dicens: *Miserere mei Domine.* Quarto, contra mæstitiam illam animi sui, & cordis anxietatem, quam necessariò in tantis experiebatur periculis, orat Deum vt sensu auxiliij, custodia & conseruationis animam suam latificet, dicens: *Latifica animam serui tui.* Vers. 6. iterum, sicuti primo versu cœpit, pro impetrando beneuolo ac benigno precationis suæ auditu orat, dicens: *Auribus percipe Domine orationem meam, & attende ad vocem deprecationum mearum.*

Precationibus istis competentes etiā causas ac rationes assignat, quibus ostendat, cum qua re ista petat, & ad hunc modum beneuolentiam, opem ac misericordiam Dei imploret: tum vnde se speret à Deo exauditum conseruatum & exhilaratum iri. Vt cum versu primo dicit: *Quoniam afflictus & pauper sum ego:* & vers. 2. *Quoniam sanctus sum.* item: *Sperantem in te.* Et vers. 3. *Quoniam ad te clamo tota die.* Et vers. 4. *Quoniam ad te Domine animam meam attollo.* Et vers. 5. *Quoniam tu Domine bonus es, & propitius, & multa bonitatis, omnibus inuocantibus te.* Et vers. 7. *Quia respondes mihi.* His videlicet causis indicat se Propheta ad hoc permoueri, vt bona cum fiducia clementiam ac benignitatem Domini imploret, sperans impetraturū se, vt exaudiatur, custodiatur, seruetur, ac diuinitus adiutus exhilaretur, Sed videamus quæ sint in his versibus seorsim obseruanda.

OBS. 1.
Vers. 1.

Inclina Domine aurem tuam.] Per hanc *inclinandarum aurium* metaphoram, non hoc tantum loco, sed & aliquot alijs *ἱκετικῶν* diuinam nobis clementiam & *πρωτον* Spiritus sanctus in Scripturis proponit: qua fit, vt afflictorum inuocantium se preces Deus benignus exaudiat, de qua suprâ Psal. 10. Propheta dicit: *Desiderium afflictorum exaudis Domine, dirigit cor eorum attendit auris*